


quia scil. minorem cavitatem minor etiam aeris compressi pars urgere potest.

*Ex his omnibus deniq; illata sunt Consectaria.*

I. Variorum naturæ Phænomenorum, dum e.g. spongia, panni lacinia, terra ficca & porosa, panis recens, supra aquæ superficiem quamproximè (ita ut eam attingant ima sui parte) suspensa, aquam sugunt, (ut vulgo loquimur) atque ad partes sui superiores & remotiores etiam paulatim attollunt;

aut in tubulo vitreo etiam ampliore arenis pleno, & aquis aliquousque demerso, (quod experimentum præ cæteris aliàs notis Spectatorum nostrorū oculis exhibere placuit) aqua paulatim ad superiora per medias arenulas enititur &c, causam aliam non esse, quam innumeros angustissimos istorum corporum poros, qui totidem sunt canaliculi angustissimi, idem quod vitrei illi, de quibus ante actum est, patientes.

II. Inter alias causas, ascendentium ad montium vertices usque, indeque in fontes effusarum aquarum, hanc quoque connumerari saltem probabiliter posse, quicquid etiam contra dicat Is. Vossius in suo de Nili fluminumque aliorum origine, tractatu.



## TENTAMEN IX.

*Quod Thermometrorum effecta & causas ipsis oculis subiecit.*

### PHÆNOMEN. I.

**E**Xhibita nempe sunt varia Thermometrorum seu Thermoscopiorum genera. Et primum quidem genus ad instar Baroscopii paratum, tubulus erat vitreus AB, (Vid Fig. XXXV.) supernè sphærulâ cavâ B instructus. Is cum per os inferius A primum repletus